DECRETVM

Ne liceat Regularibus leuare Defunctorum funera ſine proprio Defuncti Parocho.

LICET in Sacro generali Lateranenſi Concilio ſtatutum, & ordinatum fuerit, vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæteriq; Religioſi Regulares non poſſint intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Eccleſias Domorum, & Locorum eorundem ſuam elegerint ſepulturam, niſi prius præmonito, & requiſito, ac recuſante Parochiano Presbytero, & tunc ſine eius, & Ordinarij præiudicio: Significatum tamen eſt Sacræ Congregationi S. R. E. Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & Regularium propoſitæ, nonnullos Fratres, præſertim Ordinis Minorum de obſeruantia, cuiuſdam conſuetudinis prætextu, quam neq; antiquitate vallari, neq; obſeruantia viridi inniti, neq; pacifica, & non interrupta poſſeſſione firmatam eſſe conſtat, contendere ſibi licere, defunctorum funera proprio eorum Parocho abſente, eoq́; irrequiſito, efferre, & leuare; idq; haud leues controuerſias, & altercationes, aliquibus in locis, non ſine populi ſcandalo, & Dei offenſione excitaſſe. Ideo volens eadem Sacra Congregatio omnem eiuſmodi diſſenſionum, & ſcandalorum materiam, & occaſionem præcidere, atq; in futurum prouidere, vt tam Parochi, quàm Fratres ipſi, vnanimi interſe voluntate, & ea, qua par eſt, charitate, vltima hæc Chriſtianæ pietatis officia defunctis præſtent, declarat, & huius Decreti tenore ſtatuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de obſeruantia, alijſq; quibuſuis Regularibus quorumcunq; Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium exiſtant, nullo modo licere, etiam ſpecialis alicuius conſuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce proceſſionaliter, aut aliàs, ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, niſi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoq́; ibidem præſente: ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, & permittat, vel niſi requiſitus, venire expreſsè omninò recuſet. Atq; ita obſeruari mandat, & diſtrictè præcipit, firmis cæteroqui, & in ſuo robore permanentibus ijs omnibus, quæ ſuper quarta funerali, & canonica portione, alijſq; iuribus, ad ſepulturas pertinentibus à Sacris Canonibus, & Conciliorum Decretis, Summorumq́; Pontificum Conſtitutionibus hactenus ſancita, & ordinata ſunt, vel aliàs ex particulari conſuetudine, vel alio iure obſeruantur. Romæ die prima Iulij 1606.

ANTONIVS CARD. SAVLIVS.

Berling. Gypſius Secret.

ROMÆ, Apud Impreſſores Camerales. 1606.